



# The Holy See

---

PIUS PP. X

LITTERAE

***SS. D. N. PII PP. X AD MARIANUM CONVENTUM IN URBS AUSPICANDUM  
PRO IUBILAEO IMMACULATAE, DE PIETATE IN B. M. VIRGINEM PROHEVENDA\****

VENERABILI FRATRI NOSTRO VINCENTIO CARD. VANNUTELLI ET DILECTIS FILIIS  
NOSTRIS MARIANO CARD. RAMPOLLA DEL TINDARO, DOMINICO CARD. FERRATA,  
IOSEPHO CALASANTIO CARD. VIVES PRAESIDIBUS COETUS CELEBRITATI PUBLICAE  
DISPONENDAE OB QUINQUAGESIMUM ANNUM A DEFINITIONE DOGMATIS DE  
IMMACULATO VIRGINIS CONCEPTU

*Venerabilis Frater Noster et Dilecti Filii Nostri, salutem et Apostolicam benedictionem.*

Ad omnium instaurationem in Christo multa equidem sunt quae servari in christiano populo diligentissime augerique vehementer optamus. In praecipuis autem, quod iam alias professi sumus, pietatem censemus erga augustam semperque Virginem Dei Parentem Mariam. Haec ubi alte in animos radices egerit, nullus erit virtutis ac sanctimoniae fructus quem serendo educandoque sit impar. Quod enim de sapientia divina mortalium animos permeante dicitur, id non iniuria et de religione in Virginem praedicari assolet: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Hoc Nos proposito ferebamus ac porro ferimur in probando provehendoque, omnibus quibus liceret industriis, celebritatem communemque catholicorum laetitiam ob quinquagesimum annum feliciter emensum a dogmatica definitione primum edita Immaculati Mariae Virginis Conceptus. Cum vero ad pietatem in Deiparam largius proferenclam magnopere, procul dubio, sit collaturus Marianus Coetus, qui Romae propediem coetur, nolumus opportunitatem praeterire tum laudandi eos omnes qui Coetui habendo disponendoque naviter adlaborarunt, tum universos hortandi qui in Coetu aderunt ut eo maxime spectent, ut practice de Mariali religione ubique augenda disputent ac decernant.

Nos interim augustam ipsam Dei Matrem enixe precamur quo numine subsidioque suo Coetum fortunet. Divinarum autem gratiarum auspicem, Apostolicam benedictionem cunctis, qui ad Coetum venient, effusa dilectione impertimus.

*Datum Romae apud S. Petrum die XXI Novembris anno MDCCCIV, Pontificatus Nostri secundo.*

**PIUS PP. X**

---

\*AAS, vol. XXXVII (1904-05), pp. 295-296.

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana